

2,329.

Q. D. E. V.
DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA
DE SEQUESTRO

1677, 16
1933,
33

QUAM

IN ILLUSTRI ET PERANTIQUA
UNIVERSITATE HEIDELBERGENSI

Sub PRÆSIDIO

VIRI MAGNIFICI, NOBILISSIMI, AMPLISSIMI,
CONSULTISSIMI

**DN. JOH. WOLFGANGI
TEXTORIS,**

U.J.D. ET PROFESSORIS PRIM. CURIÆ
JUDICIARIÆ ELECTORALIS CONSILIARII
HODIE UNIVERSITATIS RECTORIS

PRO
**CONSEQUENDIS SUMMIS IN
UTROQUE JURE HONORIBUS
ERUDITORUM EXAMINI PROPONIT**

ARNOLDVS Bluhm

A. D. FEBR. d^o Lc LXXVII.



MANNHEIMI,

Typis WILHELMI WALTERI, Electoral. & Academice
Heidelberg. Typogr.

Ort
**SERENISSIMO PRINCIPI AC
DOMINO**

DOMINO CAROLO LUDOVICO

**COMITI PALATINO AD RHENUM,
S.R.I. ARCHITHESAURARIO
ET PRINCIPI
ELECTORI
DUCI BAVARIAÆ.**

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO

SERENISSIME PRINCEPS
ELECTOR,

DOMINE CLEMENTISSIME;



Vod à patre meo acceperam, Ro-
manis, qui gerenda republica ante
alias nationes emicuerunt, in usu
A 2 fuisse

fuisse, ut qui civilibus negotiis præparentur
adolescentes, cum in reliqua philosophia, tum
præcipue in ea quæ legibus patriis comprehensa
esset, sese exercearent; id etiam mihi annis ali-
quot superioribus sedulo faciendum existimavi.
Hoc vero priscis illis inferiorem me fatear ne-
cessere est, quod, cum Romani sexto & decimo an-
no in forum, posituri tirocinium, deducti sint;
ego longe serius, & seu tarditate innata, seu
plusculis familia nostræ migrationibus, seu lon-
ginquis peregrinationibus, seu his omnibus im-
peditus, vicesimo demum anno meo solennia,
quæ antiquorum deductioni in forum apud
nos respondent, obire ausus sum. Quæ procras-
tinatio etsi non parvo mihi dolori est; præser-
tim docto, clara Imperatorum constitutione
quondam fuisse cautum, ut ad urbem (ubi ea
tempestate professiones LL^{mm} vigebant) discendi
cupiditate venientibus usque ad vicesimum
atatis sua annum, non ultra, liceret commorari:
reperio nihilominus, quibus præter bonum &
a equum indoles mea, cui surgenti favere, quam

orna-

ornatam dare eos conveniebat, tanquam præcox (usque adeo virtuti justis temporibus maturescenti diffidunt) displicet: etsi haut obscurum est, neque malo otio, neque aequalium scandalitatibus, neque ales, aut vino unquam indulsiſſe me; sed doctrinæ & eruditionis hoc pauxillum aſſiduitate & continentia, per Dei benignitatem, mihi partum esse. Quare cum vita iſto tenore, ab aetate prima acta SERENITATEM VESTRAM ELECTORALEM, cuius ob oculos, & ante pedes nunquam non venerabundus, & improbari metuens, atque hoc metu fortunatus adolesco, magnum testem, DOMINUMQVE (ut fere, qui hoc aetatis sumus, ipsi nobis blandimur) clementissimum habeam: facultatem mihi concedi demissus oro, SERENITATI VESTRAE ELECTORALI hoc positi tirocinii ſpecimen reverenter offerendi: Deum precatus, ut ſtudia, quorum modo principia ingressus ſum, justo & recto, publicoque bono destinata & dicata, ſic gubernet, quo SERENITATI VESTRAE

A 3

STRÆ

• 3 : (8) : 5 •

*STRÆ ELECTORALI, tum antiquissimæ
& splendissimæ Domui, & provinciis Palati-
nis, ac toti Germaniæ (absit invidia audaci
voto) non inutilem, nec aspernandum civem
me quandoque exhibeam.*

SERENITATI VESTRÆ ELECTORALI

unice subditus & devotus

ARNOLD Bluhm.



I.

DE Sequestro quod Disputationi satis sit propositus, idque neutquam viscose aut perpixe facturus, neque ad alia, quæ extra jus sunt, evagaturus, ante omnia definitiones, è legibus haustas suppono, sive à JCtis, quorum præcipua auctoritas est, servatas retineo, ex l. 17. depos l. 110. de V. S.

II.

Sequestrum est, depositum controversiæ causa à pluribus factum; Quod qui suscipit, Sequester vocatur. Controversiam dico, cum aut lis est, aut futuram esse apparet. Apparet, si viro legum Jurisque perito ac prudenti videatur. Plures, etiam duos accipio, ut l. 12. de Testib.

III.

Sequestrum, an sequestrationem dicas, parum interest; cum in contractibus re initis, rem quæ in contractum venit, & contractum ipsum eodem vocabulo appellari constet. Per rubricas ff. & C. & tt. Inst. quib. mod. re contr. oblig.

IV.

Qui alias definitiones procudunt, eos non moror. Cum enim cognoscendi principia definitiones sint; de principiis autem disputandum non sit, ponere eas licet, neque vitiosas (modo in alia definiendi præcepta non peccetur) dixeris, nisi non sic adhiberi vocabulum definitum, atque ab initio ut adhiberetur definitione constitutum erat, demonstraveris.

V.

Quod si plures non controversiæ causa rem simul in solidum deposuerint, aut minime litigiosam, licet litis gratia, ob-

tia, obtulerint, vel si plures contendentes, eandem rem seorsim, aut in partes deposito tradiderint: non sequestrum sed simplex sive vulgare depositum contractum erit, l. i. pr. §. si apud 43. & seq. b.

VI.

Atque hoc depositum cum alicubi sequestrum vocatur, id vel improprius, veluti in l. si quis. 9. §. Labeo. 3. de do-
lo malo. vel imitatione quadam veluti in l. si apud te. 18. de
P. V. fieri putandum est.

VII.

Initium igitur differendi hinc procedat, quod deposi-
tum cum dico, l. 6. b. quæcunque depositi substantiam
constituunt, quæque naturæ depositi sunt consecutanea, Se-
questro tribuenda esse intellectum volo. Juxta illud diale-
ticorum; *Quod universaliter convenit generi, etiam speciei
convenit.*

VIII.

Quare cum depositum sit contractus re initus, §. 3.
Quib. mod. re contr. quæcunque de isto, quinimo quæ de
omni in universum vero contractu dici possunt, §. 2. de ob-
lig. etiam sequestro convenient.

IX.

Et nominatus contractus Sequestrum erit: quia tale
est depositum, l. 7. §. 1. de Paet. Nomen hoc ipsum à Jure
civili sortitum, causam quod litis gratia fiat, à pluribus jus
sibi in rem sequestrandam arrogantibus.

X.

Hoc sc. fine, ut à Sequestro custodiatur. §. 3. *Quib.
mod. re contr. obl. l. i. §. 5. de Obl. & Act. l. i. pr. l. 6. b.*

XI.

Eadem ratione bonæ fidei contractus Sequestrum erit,
§. actionum autem. 28. de Act. l. 9. C. b. & sequester ad dolum
& latam culpam præstandam obligabitur, §. 3. *Quib mod. re
contr. obl. l. i. §. 5. de O. & A. l. 32. b. l. i. C. b.* non ad levem
culpam

culpam. dd. II. neque ad casus fortuitos. l. 1. §. 35. h. d. l. 1.
C. b. l. 13. §. 1. de lib. caus.

XII.

Neque in eo contractu regulariter ulla sequestris utilitas versari debet; l. 5. §. 2. *Commod.* cui cohæret, ut sequestrum sit gratuitum. Honorarium tamen ei potest accedere. d. l. 5. §. 2. l. 2 §. 24. *de vi bon rapt.*

XIII.

Porro consensu, in quo substantia omnium verorum contractuum est, l. 1. §. 3. add. l. 7. pr. & §. 1. *de pact.* sequestrum fit. Unde sequitur, quod consensu non fiat, verum sequestrum non esse; sed nomen istud mentiri, vocabulo sc. sequestri in dicta significatione sumpto.

XIV.

Consensi vero cum & error & dolus sit contrarius, utrumque à sequestro abesse debere existimandum est. l. 20. *de aq. & ag. pluv.* l. 9. *de Contr. empt.* l. in totum. 76. l. *nihil.* 116. §. 2. *de R. I.* Unde porro infertur, sequestrum cui alter duorum, error, aut dolus causam dederit, nomen istud non mereri. l. 7. *de Dolo.* l. 36. *de V. O.* Reliqua hoc genus congerere prolixum, neque operæ pretium esset, & fontes monstrasse sufficit.

XV.

Enimvero cum depositum ex voluntate, sive voluntarium, & ex necessitate, sive necessarium (quod & miserabile) in legibus auditur. l. 1. §. 2. h. existimandum non est, necessitate ista voluntatem aut consensum omnem excludi, sed ut ut in arctum redigatur, voluntatem tamen superesse. Neque n. qui tumultus, ruinæ, incendii, naufragii causa deponit, nolens id facit, sed vel maxime, magis certe, quam cui nolle & velle liberum est, voluntatem deposito accommodat,

XVI.

Perinde sequestrum conventionale, partium voluntate,

B

tate,

tate, & judiciale, parte utrāque, vel alterutra invita factum, ab optimis juris auctorib⁹ statuitur, *Dd. comm.* Quorum hoc judice sequestrationem jubente; lege, cuius minister & interpres Judex est, voluntatem litigantium dirigente introducatur.

XVII.

Sic namque habendum, voluntatem ejus hic non everti, qui cum civis fieret, seque in civitatem daret, aut judicio secundum leges civitatis uti constitueret, voluntatem suam civitatis voluntati, quæ legibus declaratur, subjecit: quod enim lex vult, id quemvis è civium numero aut judiciis utentem, velle, nec aliud, nisi amissâ civitate, aut omisso judicio velle posse existimandum est: ut civem esse, aut legibus judiciariis civitatis alicujus uti velle, & legibus obedire nolle, aut diversum ab iis sentire velle, moraliter impossibile, sive absurdum sit; quo spectat *I. filius. 15. de Cond. inst. l. nemo potest. ss. de leg. I. l. non dubium. s. C. de Legib.*

XVIII.

Quare sequestrum Judiciale sive necessarium non ideo minus sequestrum erit, quod partes litigantes ultrò in id disertè non consenserint. *arg. l. 21. §. 5. Quod met. caus.*

XIX.

Non autem quivis Judicis jussus, sed lege fundatus sequestrum necessarium format. Neque enim huic vel illi judici, qua aliquid vult, sed qua legis hoc, illud volentis & jubentis, vel nolentis & vetantis interpres & minister est, civis voluntem suam subjecit. *l. factum. 170. de R. I.* Unde omnia adversus iniquas aut præjudiciales judicium sententias remedia proficiscuntur.

XX.

Doctores haut male hujusmodi voluntatem non sancne omnino liberam, sed qualificatam vocant. *Sim. Vaz. Barbosa. verbo voluntas.* Est qui inter voluntarium, & libere voluntarium distinguit, *Quam in rem apte Pomponius;*

Si

Si mulier contra patronum suum ingrata facta, sciens se ingrata, cum de suo statu periclitabatur, aliquid patrono dederit, vel promiserit, ne in servitutem redigatur: cessat Editum (QVOD METUS CAUSA) quia hunc sibi metum ipsa infert, d. l. 21 pr. Quod met. caus. Ita in sequestro necessario coactio nulla est; quia hanc necessitatem quilibet civis sibi imposuit. add. l. qui ita. 66. ad Trebellian.

XXI.

Addendum tamen existimo, Judicem sese in sua causa sequestrem necessarium facere non posse: quippe cui omnis cum judicandi, tum jus dicendi potestas in propria causa est interdicta. l. un. C. ne quis in sua caus. jud. Hoc vero sequestrum non nisi judicis opera expediri ex ante dictis liquet.

XXII.

His principiis nixa est, aut certe ex iis declarari debet pervulgata in scholis & judiciis doctrina; quam, ne quid de meo videar comminisci, praestantissimi è natione Germanica JCti verbis, sed autoritate principum apud nos pragmaticorum Mynsingeri, Cent. 5. obs. 35. Gailii, 1. obs. 5. & 148. & de Arrest, c. 12, firmatis, huc transferam.

XXIII.

Sequestratio voluntaria una est, sive conventionalis, altera necessaria sive judicialis.

XXIV.

Voluntaria est, quæ sit ex consensu controvertentium: de qua dubium non est, quin jure sit concessa.

XXV.

Necessaria, quæ & præatoria aliis est, quæ sit auctoritate magistratus, utraque parte controvertente invita, vel certe alterutra: per quam rei controversæ possessio non tantum apud alium constituitur, (suspendi alias dicitur) sed utriusque etiam parti inhibetur, ne quid circa possessionem istam attentet. Ita judex rem sequestrat.

B 2

XXVI.

XXVI.

Hanc sequestrationem regulariter esse prohibitam Dd. affirmant (imo ipsa naturali ratione dictante per se esse odiosam ait Marc Mantua, sing. 388. num. 2.) quod pro vero habendum, si nulla sequestrandi causa justa sc, & legitima subsit,

XXVII.

Quæ si subsit, quatuor concurrere debent, I. ut judici saltem summarie constet, de jure illius, qui sequestrum fieri postulat. II. ut is, in cuius præjudicium sequestratio postulatur, ad eam fieri videndum citetur. III. ut sequestrationem postulans, id ad juris sui, vel debiti conservationem faciat, idque jurato affirmet: IV. ut ex persona illius, adversus quem sequestratio postulatur, suspicio aliqua sit, aut appareat.

XXVIII.

Quod si neuter controvertentium sequestrationem fieri petat, judex ex causis jure fundatis (ut modo dictum & mox dicendum) nihilominus ex officio ad sequestrationem procedere potest.

XXIX.

Evitari potest sequestratio satisdatione, seu fidejussione; ad juratoriam etiam cautionem eum, adversus quem sequestratio petita est, admitti receptum est. Quibus addenda reliqua, quæ Herm. Vultejus. *Iurisprudentia Rom.* I. 33 & II. 30. plusculis verbis tradidit.

XXX.

Quin igitur, cum tota res huc redeat, ut legitima causa Sequestro necessario à judice constituendo requiratur; quænam legibus causæ sint proditæ inspicio. Hæ namque pro norma judicibus erunt. *Inst. de Off. Iud. pr.*

XXXI.

E jure civili Justiniane hæc fere deducuntur; I. l. 16. *de offic. præsid.* II. l. 7. §. ult. qui satisd. cog. III. l. 22. §. 8. *solut.* matr. IV. l. 21. §. ult. *de Appell.* V. l. 1. §. 1. C. *de adsert. toll. l. ult.*

C. Quib.

C. Quib. ad libert. procl. non lic. l. ult. C. de Ord. cognit. VI. l. 5. C.
quor. appell. non recip. VII. l. 20. §. 1. C. de Agric. & Censit. XI. 47.
XXXII.

Ab enarratis sequestri permissionibus expressa lege ex-
empta est pecunia, cuius sequestratio prohibetur. l. un. C.
de prob. sequest. pec. ubi pecuniæ nomine numeratam, ex-
quovis contractu debitam, esse accipendam statuo, cum
Hub. Giphan, *comment. ad b. t.*

XXXIII.

His accedunt ex legibus imperii Germanici, quarum
potior nobis ratio habenda, quæ vir magnus (hunc ei ho-
norem ipse omnium opinione magnus Marq. Freherus ha-
bet) Petrus Denaisius sic contraxit *Iur. Cam. tit. ccxi.* Si
inter immediatos non solum possesio dubia, sed & armorum
metus sit; Camera vel implorata, vel ex officio posses-
sionem sequestrato, aut à quasi possessione utrumque ab-
stinere jubeto: dehinc summarie & sine forma judicii, uter
inter ea, dum possessori, petitione causa plene definiatur,
possidere debeat interdicito. *Ord. p. 2. t. 21. §. ult. Ob auch in.*

XXXIV.

Constitutionis hujus §. primo Ordinarium, §. ult. (ubi
de sequestro agitur) summarium possessorum introductum
.intelligitor. *Dub. 26.*

XXXV.

Illud non nisi ob periculum armorum, ex rixis &
jurgiis quotidianis metuendum, hoc tum demum, si præ-
fens sit discriminem, patetque jam in procinctu, ad Cameram
pertinet. *cod.*

XXXVI.

In utroque admittendo Camera de armorum me-
tu, partiumvè procinctu, saltim summaffissimè, verbi gratia
ex epistolis instrumento insertis, vel ex scientia propria cer-
tior esto. *cod.*

B 3

XXXVII

XXXVII.

Extra hoc periculum , notitiamque, turbatio simplex ad judices ordinarios remittitor. *eod.* Hæceo jure, quod iu republ. Imperii Germanici novissimum est, seu hausta , seu per interpretationem derivata, hujus laudati viri auctoritate permotus existimo.

XXXVIII.

Jure Electorali Palatino regulariter pro vetitis habendas esse sequestrationes discimus , *Ordin. Iud. El. Aul. tie. 36.* Ex causis tamen jure probatis eadem ut fiant permittitur.

XXXIX.

Jure Canonico, quod vocamus, constitutum esse vulgo perhibent, ut loco missionis in possessionem , favore rei possessio sequestretur. *c.1.2. de sequi possess. & fruct. c.2. de dolo & contum. c.15. de Iud.*

XL.

Denique cum huc detrusi simus, ut auctoritate & opinionibus Doctorum judicia paulominis quam legibus regantur, quid iis circa generalia de sequestro placuerit, velut in transitu attingam. Majorem à sequestre, quam depositario curam videntur exigere : dant ei potestatem frustus percipiendi , & quæ tempore peritura sunt vendendi : utiles actiones intendendi , locandi , pensionem & alia debita solvendi, vacante sacerdotio alium præsentandi, de quibus agit Bocerus. *Cl. 2. disp. II.* Per singulas verò de sequestro controversias & dubia , quibus judicia distinentur, ut eam , & ubique sublingio Doctorum sim , id ne quis à me postulet , deprecor.

XLI.

Ceterum casus, in quibus sequestratio sit permisæ , alii plures, alii pauciores recensent. Pract. Ferrar. decem, *inform. sequestr.* Glossa quatuor, *in l. unic. de Proh. seq. pec.* Alios septem

septem glossa in c. fin. de sequest. poss. & has secutus Sichardus
in d. l. un. Colerus de Process. Exec. p. 1. cap. 2. Goeddæus
quinque tantum in comm. de sequest. cap. 2. n. 23. & seqq. de
quibus vid. Ant. Matthæus P. Disp ad d. l. un. num. 10.

XLII.

Actio in sequestrem depositi sequestraria competit;
Si tamen cum sequestro convenit, ut certo loco rem depositam
exhiberet, nec ibi exhibeat, teneri eum palam est. Quod si de
pluribus locis convenit, in arbitrio ejus est, quo loci exhibeat:
sed si nihil convenit, denuntiandum est ei, ut apud Praetorem
exhibeat. quæ Ulpiani verba sunt l. 5. §. 1. b. idem de aliis
sequestrum informantibus pactis judicium esto.

XLIII.

Contraria actio quemadmodum cuivis, apud quem
depositum esse dicetur, ita etiam sequestri dabitur: in quo
judicio merito in litem non juratur, non enim de fide ruptæ
agitur, sed de indemnitate ejus, qui sequestrum suscepit: quæ
rursus Ulpiani verba sunt. d. l. 5. pr.

XLIV.

Sequestri quoque tum conventionali, tum judiciali
ac necessario, aut contra ipsos sequestrantes actio dabitur,
si velit officium deponere: aut imploratio judicis concede-
tur, in qua qnid faciendum sit idem JCtus Ulpianus docet
d. l. 5. §. ult.

XLV.

Sed & is cuius res à judice sequestratae sunt, adito
judice, oblataque cautione (quod supra posit. 29. dicere oc-
cupavi) eas recuperabit, l. 16. in f. de offic. præs. exemplum
interpositi eam in rem decreti est, d. c. i. de sequest. poss. ibi:
mandato sequestrationis penitus revocato.

XLVI.

Hæc pro summis doctrinæ de sequestro sententiis,
quatenus instituto meo convenit, sufficient: quæ si recte
sunt locatæ, haud difficile erit problemata quædam, seu
quæstio-

quæstionum practicarum celebriores aliquot ex iis decidere.
Promemus eas ex Vincentio Carocio potissimum, qui, mo-
re suæ gentis, quæstionariam Juris tractationem hac etiam
in parte exercere voluit. *tract. de Sequestro.*

XLVII.

Potestne Judex ipse sequester esse? Quin voluntati-
rius sive conventionalis sequester sit nihil obstat, *posit. 2.* &
16. Nessarius ne sit, faciunt quæ *posit. 21.* sunt expressa.

XLVIII.

Cogeturne quis sequester esse? Rectè à judice cogi-
colligere licet, per ea, quæ *posit. 17.* & seqq. à nobis sunt
dicta.

IL.

Eritne merces, sive salarium sequestro constituendu-
m? N. per *posit. 12.*

L.

Eritne pupilla sequestranda, quam nuptum dare
nimium festinat tutor? Sequestrandam esse arbitramur.
posit. 2.

LI.

Mulier nupta, vel alteri nuptura, vel sævitiam ma-
riti timens eritne sequestranda? Minime, per *eand. posit. 2.*

LII.

Quid de feudo dicemus? rectè sequestrari censemus.
per *posit. 2.* & *posit. 10.*

LIII.

Dilapidatio præbeatne causam sequestro? Præbe-
re dicimus. per *posit. 31. num. 3.*

LIV.

Quid si fugæ sit suspicio? Sequestrationi locus erit
dandus. per *posit. eand. num. 2.*

LV.

Quid in provocatione ab executore modum egre-
sū, *ad hanc* *admodum* *admodum* *ad hanc* *admodum* *admodum* *admodum* *admodum* *admodum* *admodum* *dicente?*

diente? Sequestrationi indulgendum nonnunquam esse verum est. per posit. eand. num. 6.

LVI.

Estne sequestro licentia vendendi rem sequestratam danda? Neutiquam. per posit. 10.

LVII.

Quæ actio competit ex sequestro? Depositus ex sequestro, si contra sequestrem rei sequestratae dominus agat: per posit. 42. Contraria, si indemnitatæ suæ prospicere, posit. 42: vel imploratio judicis, si simpliciter exonerari velit sequester per posit. 43.

LIX.

Ad eundem modum, alios etiam, quibus vindice opus est, nodos solvere in procli vi esset: sed cum hæc in medium dedisse disputationi satis sit, quod ut fieret ab initio propositum fuit, bonorum arbitrio, cui libenter asurgo, desinere mihi licere opinor.

COROLLARIA.

I.

Carpzovius sequestrationem facit arresti speciem, sc. Iure Saxonico: cui id relinquendum.

II.

Canonicos nostros à regula, an à canone civili dici existimem? hoc, puto, verius est. Frustra ergo ludos sibi faciunt, qui regulam iis alligare tendunt.

III.

Precarias, quales 10. qu. 2 c. precariæ. describuntur, Carolus R. & Ludovicus Imp. F. fieri permisere: an expedit hodie Reipublicæ id passim fieri? N.

IV.

Coelibum collegia Rebus publicis usui; si minimum augescant, aut multiplicentur, oneri sunt.

Contra

V. Ot.

obitum

Ottoni Magno dignitatum feudalium oeconomiam deberi, in Italia presertim, vero non absimile est.

V.

Ecquis erit, qui probet Imperatores, quorum constitutiones in libros consuetudinum F. congregatae sunt, voluisse eas omnes in Germania servari?

VI.

Si Marchionatus Longobardorum lingua perpetuum magistratum significat, frustra ab extremis Imperii finibus usque accersitur ista appellatio.

VII.

Etiam alia Marchiae quam que vulgo traditur appellationis ratio erit: nimurum Marchio magistratus sive judex; & Marchiae ejus territorium; seu locum, aut forum malis, in quo jus dicatur.

VIII.

Imperator & Icti capitinis diminutionem esse docent, maximam, medium, minimam. ex arte sic dices; capitinis diminutio aut maxima est, aut illa minor, hæc media, aut minima, ipsa quidem res eodem recidet.

IX.

G R A T V L A T I O.

F Allor? an Alma Themis Nicrini ad flumina Pindi
F Descendit, placidosque intrat venerabilis hortos
Castalidum, sequitur præclara caterva sororum?
Mirantur; sed nescio quid? certè audio vocem,
Et circum Comites arrestis auribus adstant.

T H E M I S.

F Los venuste, Ocelle florum,
F Quem tenerrima in Juventa
Unda dulcis irrigavit,
Quem benigna terra fovit,
Atque mitioris auræ
Blandus æther extulit;

Quando

Quando Te tot inter hortos,
Queis decorus infuisti ,
Inclytas amare cerno,
Quas potens Apollo ripas
Ad Nicrina nuper audit
Reddidisse flumina;
Jam tuas amica dotes
Laudo, purpuræque candor
Suave mixtus, atque odores
Frondiumque digni honores ,
Queis amoëne flos refulges,
Dii deæque quām placent!
Euge sparge, sparge odores,
Ac palam nidore tanto
Exsere elegantioris
Indolis venusta dona;
Sicque te meas in arces
Flos amoëne transferam.

Substitit, & tenero sublatum pollice florem
Solenni retulit pompa, comitataque Musis
Ad Celsas Helicons abit Themis inclyta rupes:
Jamque solo melioris agri committit Apollo,
Castalidesque addunt tali meletemate votum

Apollo cum Choro Musarum.

CResce, flos beate, cresce !
Flos odore, Gratiarum
Dulce corculum piarum,
Cresce ! molle delicato
Te solum fovere succo

Nunc jubetur optimum.

Noster usque flos manebis:
Hujus aura levis agri,
Aura grata de rosetis,
Osculabitur labellis,
Blaudietur & flabellis,

Si meum te viderit.

Hinc

Hinc procul suis Bootes
Horridus recedat armis :
Hic minas, ferosque ponat
Bruma sævior furores,
Syrii nec ardor lædat,
Haud amicus floribus ;
Mille sed circum colores,
Mille frondium Virores,
Mille cœlitūs liquores,
Augeant amœnitatem,
Quâ decorus inter omnes
Flos venuste præmicas !


ALIA.

BLUMI Pieriae decus juventæ,
Quem Parnassius imber irrigavit,
Et dulci Themis ipsa fovit unda :
Ergo digna Deæ paras referre
Maturus sacra? fortis, Euge, fortis,
Et virtute Tua beatus esto,
BLUMI blanda medulla gratiarum,
Phœbi delitiæ, Novem sororum
Dulcis cura, venuste, docte BLUMI !
Hæc est ambitio decora : talis
Præclaram decet iudicem voluptas,
Et magnas fovet ardor iste mentes.
Tu cœptos modò fortiter labores
Urge : tu patriæ, Parentibusque
Ostende egregias, pias, amœnas,
Pulchras ingenii elegantioris,
Dotes, gratus amor tuis futurus,
Et spes, præsidium, decusque amicis.

L. Bæger, Electoral. Bibliothecar.

F I N I S.

2401



ULB Halle
003 487 296

3



SB

V317

Farkarte #13



DISPUTATIO Q. D. E. V.
INAUGURALIS JURIDICA
DE SEQUESTRO
QUAM
IN ILLUSTRI ET PERANTIQUA
UNIVERSITATE HEIDELBERGENSI
SUB PRÆSIDIO
VIRI MAGNIFICI, NOBILISSIMI, AMPLISSIMI,
CONSULTISSIMI
DN. JOH. WOLFGANGI
TEXTORIS,
U.J.D. ET PROFESSORIS PRIM. CURIÆ
JUDICIARIÆ ELECTORALIS CONSILIARII
HODIE UNIVERSITATIS RECTORIS
PRO
CONSEQUENDIS SUMMIS IN
UTROQUE JURE HONORIBUS
ERUDITORUM EXAMINI PROPONIT

ARNOLDVS Bluhm

A. D. FEBR. d^o Lc LXXVII.



MANNHEIM,

Typis WILHELMI WALTERI, Electoral. & Academie
Heidelberg. Typogr.

